

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0452

Sabato 16.06.2018

Lettera del Santo Padre all’Inviato Speciale alle celebrazioni del 1050° anniversario della prima sede episcopale in suolo polacco a Poznań (22-24 giugno 2018)

In data 21 aprile 2018, il Santo Padre Francesco ha nominato l’Em.mo Card. Dominik Duka, O.P., Arcivescovo di Praga, Suo Inviato Speciale alle celebrazioni che avranno luogo a Poznań nei giorni 22-24 giugno 2018 in occasione del 1050° anniversario della prima sede episcopale in suolo polacco.

L’Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dai seguenti ecclesiastici:

- Rev.do Mons. Bogdan Cłesz, Docente presso la Pontificia Facoltà Teologica dell’Università statale a Poznań e dal 1992 Canonico del Capitolo della Cattedrale di Poznań;
- Rev.do Mons. Henryk Nowak, dal 1996 Economo dell’arcidiocesi di Poznań e dal 1997 Canonico del Capitolo della Cattedrale di Poznań.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all’Em.mo Card. Dominik Duka, O.P.:

Lettera del Santo Padre

*Venerabili Fratri Nostro
DOMINICO S.R.E. Cardinali DUKA O.P.
Archiepiscopo Metropolitae Pragensi*

Spiritu Sancto afflante atque Deipara Virgine Maria firmiter intercedente, primo exeunte millennio Evangelii nuntio novae patebant terrae novique populi, veteri errore reiecto, Christianam religionem laetantes amplectebantur. Inter eos et Polonorum erat gens, qui post baptismum a principe Mieszko I anno CMLXVI acceptum usque magis Christum sequi et confiteri ferventer cupiebant.

Sancta Mater Ecclesia, semper sollicita ut tanta aeternae beatitudinis desideria quam maxime completerentur, mox missionarios illuc misit ac primam dioecesim instituit Posnaniensem, cuius lordanus primus fuit Episcopus.

Is multum laboravit, favente sane principe Mieszko I, ut populum suae curae pastorali commissum e vanis ritibus ad christianam fidem conduceret. Iustum ergo est ab illa parte Ecclesiae ipsum memorari, monente Sacra Scriptura: *Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem* (*Heb 13,7*).

Sed neque obliviscenda est Dobrava, regis Bohemiae filia et christiana religionis fidelis assecula, quam memoratus princeps uxorem duxit quaeque ei filium Boleslaum peperit, futurum primum Poloniae regem. Namque e Praga ea secum sacerdotes attulit, eiusque suavibus verbis maximeque patienti exemplo cotidiana in vita maritus, modo baptizatus, sanctificatus erat in muliere (cfr *1 Cor 7,14*). Ea quae oboedienter patriam et familiam reliquerat atque humiliter ac perseveranter pro animarum bono plurima adversa passa est, nostrae aetatis mulieribus et viris incitamentum est ad caritatem, quae *patiens est, benigna [...], non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, [...] omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (*1 Cor 13,4-7*).

Superiore autem anno Venerabilis Frater Stanislaus Gadecki, Archiepiscopus Metropolita Posnaniensis, Praeses Conferentiae Episcoporum Poloniae, certiores Nos fecit de sollempni celebratione agenda hoc anno Posnaniae, ML elapsis annis ab eadem constituta dioecesi, itemque postulavit ut Pater Purpuratus ad Nostram personam gerendam illuc mitteretur. Te igitur, Venerabilis Frater Noster, praestantem Pastorem metropolitanae Sedis Pragensis, quae Poloniae populorum initium evangelizationis strenue adiuvit, plurimas ob rationes eligendum arbitramur, cui libenter honorificam hanc missionem concredamus. Quamobrem hisce Litteris Missum Extraordinarium Nostrum te nominamus ad memoratum sollemnem ritum diebus XXII-XXIV proximi mensis lunii Posnaniae peragendum.

Liturgicis celebrationibus Nostro nomine praesidebis Nostramque benignam adstantibus significabis salutationem, praesertim carissimae Posnaniensi Communitati, eiusdem Archiepiscopo Metropolitae aliisque Fratribus in Episcopatu. Verba Nostrae reverentiae et caritatis communica etiam ceteris clericis, familiis, publicis auctoritatibus cunctis Christi nomen sincero corde confitentibus.

Cum vero fausta haec commemoratio in sollemnitate sancti Ioannis Baptiste concluditur, eius apud Deum intercessionem exposcimus ut etiam nostra aetate omnes homines per orbem terrarum Christum verum suum Redemptorem ac Deum agnoscant eiusque amorem et mandata servent. Qui autem regem monere non haesitavit, Pastores hodie suo exemplo incitent ut, perfectam plebem Christo Domino praeparent et animose Evangelii annuntiantes veritatem, praecipue tuentes matrimonii et familiae incolumem sanctitatem, praebant populo spiritualium gratiam gaudiorum omniumque fidelium mentes dirigant in viam salutis et pacis.

Benedictionem demum Apostolicam, supernae gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem Tibi, Venerabilis Frater Noster, imprimis elargimur, quam nomine Nostro cum omnibus hunc memorabilem eventum participantibus peramanter communices volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVIII mensis Maii, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

FRANCISCUS

[00973-LA.01] [Testo originale: Latino]